

Zeitschrift:	Candollea : journal international de botanique systématique = international journal of systematic botany
Herausgeber:	Conservatoire et Jardin botaniques de la Ville de Genève
Band:	29 (1974)
Heft:	1
Artikel:	Introitus Araliacearum Mascarenarum : 2. De speciebus Polysciadis floribus racemosis vel spicatis, non umbellulatis
Autor:	Bernardi, Luciano
DOI:	https://doi.org/10.5169/seals-880139

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist die Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften auf E-Periodica. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Zeitschriften und ist nicht verantwortlich für deren Inhalte. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern beziehungsweise den externen Rechteinhabern. Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen sowie auf Social Media-Kanälen oder Webseiten ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. [Mehr erfahren](#)

Conditions d'utilisation

L'ETH Library est le fournisseur des revues numérisées. Elle ne détient aucun droit d'auteur sur les revues et n'est pas responsable de leur contenu. En règle générale, les droits sont détenus par les éditeurs ou les détenteurs de droits externes. La reproduction d'images dans des publications imprimées ou en ligne ainsi que sur des canaux de médias sociaux ou des sites web n'est autorisée qu'avec l'accord préalable des détenteurs des droits. [En savoir plus](#)

Terms of use

The ETH Library is the provider of the digitised journals. It does not own any copyrights to the journals and is not responsible for their content. The rights usually lie with the publishers or the external rights holders. Publishing images in print and online publications, as well as on social media channels or websites, is only permitted with the prior consent of the rights holders. [Find out more](#)

Download PDF: 09.08.2025

ETH-Bibliothek Zürich, E-Periodica, <https://www.e-periodica.ch>

Introitus Araliacearum Mascarenarum

2. De speciebus *Polysciadis* floribus racemosis vel spicatis, non umbellulatis

Auctore LUCIANO BERNARDI, felsineo

RÉSUMÉ

L'auteur présente quelques notes sur le genre *Polyscias* aux Mascareignes.

SUMMARY

The author presents some observations on the genus *Polyscias* from the Mascarene Islands.

ZUSAMMENFASSUNG

Der Verfasser teilt einige Bemerkungen über die Gattung *Polyscias* von den Maskarenen mit.

Cum ausus sum in hoc fasciculo duas species ut novas *Polysciadis* inscribere, flebo nunc vegetationis Mascarenarum occasum?

Lector ut dicitur benevolus quidem me simulatum cogitabit. Quin, magis... Lacrimarum auxilio species extinctae non revirescunt! Verba solum etiam si creberima et ornatissima, species condemnatas non servant: tantum facta virorum bonae voluntatis erga Naturam, mundum viridim a caligine absumptionis solvere possunt.

Quo dicto, num dubiae, an verae species hodie descriptae insulae Borboniae? Tam numerosi quidem lectores et descriptores plantarum in insula Borbonia (= Réunion) fuerunt — principe eorum celso Philiberto Commerson qui invit plus quam duobus saeculis peractis rerum naturalium studium — ut species novae hornotinae, absurdæ videantur.

Omnia specimina ab antiquo lecta et in Borbonia et in Mauritio insulis tamen mihi adsunt mutuatione Herbarii Kewensis, Lutetiae, Windobonaeque et absque dubio ullum specimen minime cum *Polysciade Rivalsii* atque *Polysciade Aemiliguineae* convenit. Descriptiones etiam, quamquam saepe ineptae, a pugillo phytographorum

confectae, omnes remotae a conceptu harum specierum novarum manent. Usque ad diem, ulla species *Polyscias* inflorescentiis racemosis, ne umbellulatis quidem, ex insula Borbonia indicabatur, “*Botryopanax borbonicum* Miq.” excepta: de qua mox loquar.

Puto quoque species has, utramque tantum ab tres vel quatuor arbores nunc confectam, ut mihi asseveravit diligentissimus studiosus florae Borboniae, Theresianus Cadet, semper raras fuisse, id est paucis centenis arborum formatas ab origine insulae vegetationis, radicatas in regione “mégathermique sèche” sensu Rivalsii, ubi coloni a principio vegetationem insulanam diffuse delerunt culturae causa.

Botryopanax borbonicum, quamvis ab epitheto loci insignitum, ab auctore Batavo constituebatur basi *Gilibertia paniculatae* DC., cuius typus Genavae servatus (DC.) inscriptionem fert. “Ile de France ou de Bourbon Muséum de Paris 1821”.

Miquel – reor celeritatis causa – patriam unam dedit specimini ab A. P. Candolle viso, epitheto nullo jure commutato, ad insulam Borboniam speciem alienam adscripsit. *Gilibertia paniculata* DC. mihi videtur malo astro nata, quia non solum a Miquel vexabatur, sed etiam a J. G. Baker in “Flore of Mauritius and the Seychelles”, p. 126, fallacissime nominabatur *Polyscias paniculata*: quod Baker dixit “*Polyscias paniculata*” nullo modo congruit cum *Gilibertia paniculata* DC. Quanti sunt et lusci et caeci et surdi in orbe Botanicorum! A. P. Candolle bis in descriptione sua *Gilibertiae* scripsit: “floribus paniculatis”, at Baker – nullo typo inspecto – censuit nonnulla specimina mauritiana *Araliacearum*, foliis pinnatis “Flowers in dense simple spicate racemes” adscribere ad speciem candolleanam; atque argutia britannica addidit”. The specific name is misleading, as it is the only species of the seven that is not paniced”. Speciem supervacaneam in eodem opere nuncupavit: “*Polyscias cupularis*”, quae eadem est quam *Gilibertia paniculata* DC.

Conciso dictu, puto hanc esse nomenclaturam et synonymiam *Polysciadum* mazarenarum, affinitatibus et discrepantiis indictis, inflorescentiis ultimis racemosis vel spicatis, haud umbellulatis. Supplico lectores meminisse me quoque lussum, orbum surdumque esse, quia homo sum et errare botanicum est.

***Polyscias paniculata* (DC.) Baker, sensu Candolle non Baker, l.c. 1877.**

- = *Gilibertia paniculata* DC., Prodr. 4: 256. 1821.
- = *Gilibertia saururoides* Röp., Bot. Zeit. 6: 257. 1848, Tab. I, A.
- = *Gastoniasaururoides* Roxb. ex Röp., l.c.
- = *Botryopanax borbonicum* Miq., Ann. Mus. Bot. Lugd. Bat. 1: 5. 1863.
- = *Grotefendia paniculata* (DC.) Seem., Journ. Bot. 2: 247. 1864.
- = *Grotefendia cuneata* Seem., ibid.,
- = *Panax paniculata* (DC.) Drake, Journ. Bot. 11: 62. 1897.
- = *Panax Commersonii* Drake, id.: 63.
- = *Panax racemosa* Drake, ibidem.
- = *Panax cupularis* (Baker) Drake, ibidem.
- = *Polyscias Commersonii* (Drake) Viguier, Bull. Soc. Bot. France 52: 301. 1905.
- = *Polyscias racemosa* (Drake) Viguier, ibidem.
- = *Botryopanax paniculatus* (DC.) Hutch., Gen. Fl. Pl. 2: 57. 1967.
- = *Botryopanax cupularis* (Baker) Hutch., ibidem.

Typus: ut dixi, specimen typicum, sine lectore nec anno lectionis, — G — servatur (DC.).

Patria: tantum in insula Mauritii viget, olim sat frequens, nunc raro invenitur. Species formosa, haud culta, utinam ministri silvarum mauritianarum vellent hanc speciem in Natura servare et simul per hortos mauritianos et per hortos et hibernacula orbis terrarum seminibus perpetuare!

Discrimina: floribus breviter pedicellatis, usque subsessilibus per racemos inspersis distinguitur primo visu ab *Polysciade dichroostachya* Baker, cui flores omnino sessiles sunt. Forma foliorum, dimensione et numero carpellorum ab ea abhorret.

Peculiare: variatio magnae amplitudinis conspicitur in inflorescentia typica: quamquam ob penuriam speciminis paucos observavi, tamen flores vidi petalis 9-usque 12-meris, ovarii (5-)6(-7) loculatis. Species igitur quam non licet contineri in angustis liminibus. Flores etiam brevissime pedicellati, fere sessilis, commixti cum aliis, in eodem specimine, pedicellis 1-2 mm longis, observantur. Synonymia dilatata propter hoc explicitur.

Polyscias Neraudiana (Drake) Viguier, l.c.

- = *Panax Neraudiana* Drake, l.c.: 62.
- = *Gastonie Neraudiana* L. C. M. Richard ex Drake, l.c.
- = *Polyscias paniculata* Baker, l.c. (non *Gilibertia paniculata* DC.).

Typus: *Bouton s/n* (an. 1829) (P, K).

Discrimina: frutex sat foedus et pauper, haud rarissimus videtur, primo visu distinguitur ab *Araliaceis* mascarenis ob humilem staturam, comam obsoletam, foliis saepe duro-coriaceis et revolutis, racemis binis, oppositis, arcuato-divaricatis ut cornuis hircinis. Floribus inspectis, loculi ovarii 4-5 solum, et petala et androecium (10-)12(-15!)-mera conspiciuntur.

Polyscias dichroostachya (Bojer) Baker, l.c.: 127.

- = *Gilibertia dicrostachya* Bojer, Hort. Maur.: 162. 1837.
- = *Panax dichroostachya* (Bojer) Drake, l.c.: 62.
- = *Botryopanax dichrostachyus* (Baker) Hutch., l.c.

Typus: *Bouton s/n* “Growth in the interior of the forest and also met with on the top of some mountain. Rec. d. 1864-5” (K).

Baker (l.c.) specimen typicum haud indicavit, tamen scripsit “In forests of Mahé and Savanne”. Adest in herbario kewense, specimen Boutonianum eadem inscriptione, quod tamen maxime ambiguum manebit usque mundi Apocalipsem, quia inflorescentiis contractis, vix natis, omnino informe, maximam dubitationem studiosis, minime certitudinem typicam, offert. Specimen contra quod typicum supra indico, fructiferum est.


Patria: insula Mauritii.


Notandum: in herbario Mauritii (Réduit) et (K) plurima specimina florifera et fructifera adsunt, at cave! omnia lecta sunt per annos ab eadem arbore. Nam puto,

Conspectus specierum floribus racemosis
vel spicatis, haud umbellulatis.

Fig. 1. — *Polyscias Ayresii*. Fig. 2. —
P. dichroostachya. Fig. 3. — *P. panicu-*
lata. Fig. 4. — *P. Aemiliguineae*. Fig. 5. —
P. Rivalsii. Fig. 6. — *P. Neraudiana*.

Obs.: In 1., foliolum terminale tantum extans in typo. Ceteris speciebus, foliolum terminale longius petiolatum distinguitur. Maxima variatio foliolorum ejusdem folii exponitur. In 4., variatio *a-b* (id est: de 9 ad 12) in numero loculorum conspicitur. In 3. et 6., non solum in numero loculorum (cf. *a-b* in delineationibus) sed etiam in numero petalorum: A-B-B1). Species 3.: (6-)9-15!
Species 6.: 7-15. Fructus in 3. proportione dimidiata quam in 2. et 6. adumbratur. (Line Guibentif delineavit.)





suadente domino Iosepho Guého, qui civis mauritianus est, Herbario Réduit plurimis annis addictus, per insulam saepe plantas legens et observans — hanc speciem rarissimam esse, forsitan 2 vel 3 arboribus confectam. Ad illam ideo eadem verba quae scripsi iam *Polysciadis paniculatae* salute, addicuntur.

Discrimina: distinguitur a *P. paniculatae* formis subsessilibus, ob flores per racemulum hic, illic congregatos, haud uniformiter inspersos; a *Polysciade Rivalsii*, ob formam foliorum et floribus sessilibus, contra flores bene pedicellati observantur, in specie Borboniae; utraque affines enim considerandae sunt floribus plerumque hexameris et ovariis totidem ovulatis. *Polyscias Aemiliguineae* differt inflorescentiis minimum triplo crassioribus floribus duplo majoribus, rufo-lanosis, octomeris, ovaris 9-10 loculatis et forma stilopodii.

Polyscias Ayresii Baker, l.c.: 127.
 = *Panax Ayresii* (Baker) Drake, l.c.: 63.
 = *Botryopanax Ayresii* (Baker) Hutch., l.c.

Typus: Dr. Ayres s/n (an. 1861) (K).

Nota tantum ex typo et uno specimine sat dubio, per quadraginta minimum annos haud rursus inventa, haec species, heu, defuncta mihi videtur. Utinam inveniri possit!

Discrimina: ab ceteris facile disgnoscenda articulatione pedicellorum incisa, haud cupulari vel patelliformi. Typo inspecto, corolla 7-mera, stilos et loculis ovarii 9 hanc speciem vidi. Egregia etiam ob flores inspersos per longitudinem racemulorum, tamen congregatos ad apicem, umbellulam simulantes: a cl. Baker qui scripsit (l.c.) "Flowers... crowded into umbels at the ends", discrepo, quia pro nihilo umbellae adsunt, tantum flores congressi.

Clavis Polysciadum Mascarenarum floribus inspersis haud umbellulatis

- | | | |
|-----|--|----------------------|
| 1a. | Frutex, floribus in racemis oppositis, divaricato arcuatis, breviter pedicellatis; petala quam loculi ovarii numero duplo usque triplo (species mauritana) | <i>P. Neraudiana</i> |
| 1b. | Arbores, paniculis vastis | 2 |
| 2a. | Articulatio florum incisa, haud patelliformis; petala quam loculi numero minore vel aequante (species mauritana) | <i>P. Ayresii</i> |
| 2b. | Articulatio florum patelliformis vel cupuliformis | 3 |
| 3a. | Flores pedicello aequilongi, per racemulos uniformiter inspersi, plerumque hexameri et totidem ovulati, antheris cochleatis (species borbonica) | |
| | | <i>P. Rivalsii</i> |
| 3b. | Flores pedicello abbreviato aut omnino sessiles | 4 |
| 4a. | Flores omnino sessiles | 5 |

- 4b. Flores breviter pedicellati usque subsessiles; petala 10 vel magis (usque 14); ovaria 6-8 loculata, receptaculo glabro (species mauritana)
P. paniculata
- 5a. Flores hexameri, totidem ovulati, petalis 2-3 mm longis, glabris, antheris, rectis; receptaculo et calyce puberula (species mauritana)
P. dichroostachya
- 5b. Flores petalis 5 mm longis, pubescentibus, antheris retro-plicatis, receptaculo et calyce rufo-lanoso; octomeri, ovario 9-10 loculato (species borbonica)
P. Aemiliguineae

De fato *Botryopanax* Miq., videlicet immersione in *Polyscias*

Ut constat supra in synonymis porrecta, omnes species *Botryopanacis* in *Polysciadēm* posui; nec primus fui, quia augustus Harms, a R. Viguier secutus, ita egit.

Nuper, anno 1967, J. Hutchinson acerrimus et desideratus, *Botryopanacem* Miq. resumpsit, speciebus paullum auctis, causa principe inflorescentiae forma: qua, mea ratione, genus minime fit. Tantum sectio vel melius series specierum parallelae, firmandae sunt, in *Araliae* familia, inflorescentiae causa. Opusculo precedenti dudum partem *Botryopanacis* quam Hutchinson addidit, in *Polysciadēm* remisi (cf. Candollea 26: 16. 1971). Tunc dubiosus manebam discrepantia inter loculorum numerum et petalorum.

Omnibus speciebus nunc inspectis mascarenarum, ut supra constat in texto et in clavi, mihi appareat variatio numerica partium florū ances fieri, ab duobus speciebus (*dichroostachya* et *Rivalsii*) quibus numerus constans partium adest, ad duas species (*paniculatum* et *Neraudianum*) ubi loculi numero minore quam petala observantur, et simul *P. Ayresii* et *P. Aemiliguineae* petalorum numero paulum minore quam loculorum ornantur.

Cum certior sum *P. dichroostachyam* et *P. Rivalsii* pleno jure ad hoc genus pertinere, crudelissimum et supervacaneum mihi videtur genus (num: duo genera?) servare vel fundare ob causam sic infidam et fluctuantem.

Delineatio a dominilla Lina Guibentif confecta de ista variatione melius quam multa verba has species unius generis esse explanabit (fig. 1-6).

